C EX GALENO.

Radix quiddam letale obtinet, quamobrem eius foris usus ad scabies, impetigines, alphos, & in summa ad omnia quæ detersionē postulant. Præterea emollientibus & discutientibus medicamentis miscetur, ac illita phagedænica ulcera sanat.

EX PLINIO.

Radice eius lichenes curantur, cum sulphure & bitumine unà coctis: cōmanducata uerò dentes mobiles, aut in aceto decocta. Succo scabiem etiam quadrupedum sanant. Et ricinos canum necant.

DE CHAMAEPITY▸ CAP▸ CCCXXXIX▸

NOMINA.

Ibiga. *Iua.* ΧΑΜΑΙΠΙΤΥΣ Græcis, Aiuga siue Abiga, autore Plinio, Latinis dicitur. Inuenitur & Ibiga uocari, quod nomē, Hermolao teste, ferè seruant hodie Illyrici. Hinc abiectis duabus literis i & g, Iba, & ab Aiuga abiectione literarum a &g, Iua manauit in uulgi nomenclationē. Officinę Iuam cognomento muschatam appellant, Germani ye lenger ye lieber. Cæterū Chamæ pitys dicta est, quasi humilis & breuis, humiq; depressa picea: nam eius folia piceam olent. Abiga uerò uocata propter abortus, quos, educendis ijs quæ in utero sunt, excitare solet.

Chamæpitys unde dicta. *Abiga quare uocata.*

GENERA.

Prima. *Altera.* *Tertia.* Tria eius sunt genera. Vna folijs Sedi seu Aïzoi, quam nos fœminā fecimus. Altera ramis anchoræ modo incuruis, quam nondum uidimus. Tertia mas dicitur etiam Dioscoridi. Harum discrimina è descriptionibus certius cognosces.

D FORMA.

Prima, herba est per terram serpens, subcurua, folia minori Azioo similia habens, multò tamen tenuiora, pinguiora: hoc est, ut Serapion interpretatur, super se plus humiditatis tenacis habentia, & hirsuta, circa ramos frequentia, odore piceæ, flores exiguos, luteos aut candidos, radicem Cichorij. Altera cubitalibus est ramis anchoræ modo incuruis, tenuibus, coma supradictæ simili, flore candido, semine nigro. Olet autem & ipsa piceam. Tertia quæ mascula appellatur, herbula est foliolis tenuibus, candidis & hirsutis, caule aspero, candido, flosculis luteis, semine secus alas pusillo. Piceam & hæc olet.

LOCVS.

Sua sponte, quod sciam, in Germania non prouenit. Nunc tamen in hortis plantari cœpit. Plinius tertiam in petris nasci tradit.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Chamæpitys gustu quidem amarū saporem acri ualidiorem obtinet. Est autem in calefaciendo secundi, in siccando uerò tertij ordinis.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Folia primæ septem diebus in uino pota, regio morbo medentur. Quadraginta uerò ex hydromelite, ischiadicos sanant. Dantur peculiariter iecinorosis, urinæ difficultatibus, & renum uitijs. Prosunt etiam torminosis. Ea apud Heracleam Ponticam, perinde atq; antidoto contra aconitum utuntur, bibentes decoctū. Adantedicta illinitur, cum polenta iure decocti macerata. Trita & cum fico pro pilulis data aluum emollit. Excepta melle, squama æris, & resina, purgat. Appositа ex melle, ex utero ducit. Mammarū duritias discutit. Vulnera glutinat. Vlcera quæ serpunt, cum

CHAMAEPITYS
PRIMA.